

cum versari mihi forte fortuna contigerat, non potui non, quin frequentiore TECUM conuersationem, immo et amicitiam Tuam diligentius ambiuerim, qua in re TE haud difficilem expertus sine mora TECUM contraxi amicitiam suauissimam et ad omnem comitatem facilitatemque procliuiorem atque hunc vsque in diem sanctissime cultam. Quoties exin tempus, quod alii epulis et commissionibus, alii aliis iisque absentibus rodendis, alii secretissimis regum principumque consiliis auscultandis atque ad modum stannarii ab Holbergio confecti percensendis consumunt, id de nouis litterariis, de statu rei sacrae hoc primum tempore perturbatissimo, de adiumentis historiae tam sacrae quam ciuili, in primis Germaniae et maxime almae huius, quam infidemus, regionis importandis sermocinando traduximus? Quanto gaudio nobis fuere monumenta et chartae antiquiores, quibus priscae harum terrarum faciei, moribus maiorum nostrorum, generi principis vel comitis cuiusdam hisce in regionibus quondam incluti, praecipue eius, a quo Serenissimi Duces Saxoniae orti sunt, aliquid lucis; immo et scintillula adsperebatur? Hinc non ignorans voluptatem, quam ex eiusmodi chartis percipere soles, non incongruum nec TIBI ingratum fore duxi, si TIBI valedicturo in amicitiae nostrae testimonium tria diplomata adhuc inedita ac historiam Thuringiae et sacram et ciuilem non parum illustratura publice traderem. Sunt vtique in Tabulariis huius loci, et in illo Serenissimae Domui Saxonicae communi, et in altero; quod Clementissimo Duci nostro pro-